

## Marklandi Annotationes in Ausonium ineditae

Inspicienti mihi nuper bibliopolarum tabernulas, ubi veteris doctrinae monumenta sub Jove venalia distrahuntur, obtulit fors volumen quoddam satis lacerum, Ausonii opera continens cum notis Tollii et variorum, quod imprimi fecerat Joannes Blaeu, Amstelodami MDCLXXI. Quem librum quum inspicerem, in primo folio illustre Jer. Marklandi nomen inscriptum animadverti. Fuerat sane pergratum mihi, librum illius manibus tractatum tantum nancisci, sed gaudio accessit, quod hic illic sparsas animadversiones dispexi, quae non minus ingenium, quam manum Marklandi prae se ferebant. Itaque, coempto libro, statim inquirebam, nunquando hae annotationes in lucem protractae essent, sed neque volam neque vestigium earum potui invenire. Cum ergo impietatis fuerit, tanti viri animadversiones, plus ducentos jam annos latentes, luce et foro diutius privare, eas omnes sedulo descriptas Latinae poseos studiosis offerre constitui.

In notandis Ausonii locis eum ordinem secutus sum, quem et Marklandus ipse et mille alii secuti sunt, nam in Peiperianis et Schenkelianis tenebris oculi mei caligant. Satis a me dictum: nunc Marklando animum advertite.

Praefatiuncula III 8: — *Nec doctum minus, et magis benignum.*  
Alludit ad epigr. Martialis ad Plinium.

Epigram. XII 15—16: — *Tu quoque, dum rogitas, dum percontando moraris, elapsam d i c e s me tibi de manibus.* Fort. *disces.* § XIII 2: — *Utere rene tuo. Omnino vere.*

XXXVIII 3—4: — *Ast ego rem sociam non dissociabo, Sabina: / versibus inscripsi quae me a texta meis.* Lege tua ex sensu. § LXI 1: — *Er-rasti, a t t e n d e n s haec ilia nostra, juvence.* Lege *accedens*, ut respondeat Graeco προσέρχεται.

---

53) vgl. G. Dirichlet, Der Philosoph Seneca als Quelle für die Beurteilung der ersten röm. Kaiser. Progr. Königsberg 1890.

LXIII 2: — *Pastor cum grege mittet a g e n s*. Recte: ut 67. (Alludit M. ad LXVII 2: — *Ageret juvenecas quum domum pastor suas.*) § LXX 3—4: — *Dic, quid erit Marcus jam fata novissima functus, / si redeat vitam rursus in a e r i a m?* Melius *aetheriam*. § LXXV 4: — *Pallentem, et multa mortis in effigie*. Q. -tum, ut est apud Graecos.

Ib. 7: — *Ut, quia notitiam rerumque hominumque t e n e r e m,* / *accirem medicos*. An -rent et qui?

LXXVI 3: — *Asinos quoque rudere dicas*. Ex Persio Sat. III 9, ubi fort. legendum ut hic dicas pro credas.

LXXXIV 3: — *Idem qui Nioben saltavit saxeus*. Fort. *quin*.

CXXVIII 6—7: — *Mediumque fissi rima qua patet, callem /* Ψ *dicit esse*. Fort. *fossae*: sequitur enim *trifissilis*. § CXXX 9—10: — *Laudo Timomachum, matrem quod pinxit in ense / cunctantem, prolis sanguine ne maculet*. Dixisse debuit *dextram* vel *tabulam* sanguine ne maculet. Vox *prolis* omnino insipida est, et margini addita ut explicaret *tò sanguine*.

CXXXI 3—4: — *Sed quod et elixo plantaria podice vellis / et teris incusatas pumice Clazomenas*. Q. *inclusas*.

CXXXV 6: — *Lapsaque non merito sunt mihi verba sono*. Leg. *non vero*.

Ib. 8: — *Strataque tentavi sicca pavente manu*. An *caeca*? § Ib. 15: — *Ipsa verecundo tetigi pallore puellas*. Leg. *papillas*. § CXXXIX 1: — *Nec Stygiis lucis ineunt sua foedera fratres / Oedipodionidae*. Q. *pia*.

Ib. 3—4: — *Namque etiam ex uno surgentes aggere flammae / in diversa sui dissiliunt cineris*. Q. *suos, -res*. Dissiliunt i. e. *dissilire faciunt*. Vel *duos*.

Ephemeris 3: — *Tu velut primam mediamque noctem / Parmeno dormis*. Leg. -ve.

Ib. 11—12: — *Nec coruscantis oculos lacessunt / fulgura lucis*. Fort. *solis*. Vid. Statium Silv. III 3, ubi hae voces commutantur, ut in notis docebo. (Tum in calce paginae ea quae sequuntur.) Omnino *solis* scripsit Ausonius: *soli* enim potius quam *luci* convenit epitheton *coruscantis*; et sequitur statim, *noctis et lucis*.

Ephemeris, Oratio 43: — *Da pater aeterni speratam luminis auram*. Fort. *aulam*.

Ephemeris, versus de somno et insomniis 13—15: — *Imagine foeda / libera mens vigilat: totum bene conscia lectum / pertractat secura manus*. Q. *tunc conscia*.

Ib. 24: — *Et geminas numero portas: quae fornice eburno / semper fallaces glomerat super aera formas: / altera, quae veros emittit cornea visus*. Leg. *somni* et *haec fornice*. § Parentalia, praefatio versibus adnotata 13—14: — *Ille etiam moesti cui defuit urna sepulchri, / nomine ter dicto pene sepultus erit*. Leg. *erat*: intelligit enim Deiphobum Virgilianum.

Ib. 18: — *Et praeter justum funera nulla fleas*. Recte.

Parentalia I (Julius Aus. pater) 12—14: — *Quanquam et facundo non rudis ingenio. / Praeditus et vitas hominum ratione medendi / porrigere*. Transpositae voces mihi videntur, et legendum, *Quamquam et facundo praeditus ingenio. Non rudis et vitas hominum etc.*, ut Epicedion in patr. V 1 *non ultimus arte medendi*.

Parent. II 8: — *Viva thorum quondam, functa fove tumulum*. Fort. -ves, ut in Professor. XIV ad fin. (Versus quem indicat Markl. est, Majorum Manes et monumenta foves.)

Parent. III 3: — *Et mihi qui fueris, quod pater et genitrix.* Fort. *tu.*

Ib. 10—11: — *Hinc tenus Europam, fama crescente, perit o l Constantinopolis rhetore te viguit.* Lege et distingue, *Hactenus Europam.* fama crescente, *petito Constantinopolis* etc. § Parent. IV 29: — *Et modo conciliis animarum mixte piorum l Fata tui certe nota nepotis habes.* Fort. *tu,* ut supra v. 23. § Parent. VII 3—4: — *Magna cui et variae quaesita pecunia sortis l haeredis nullo nomine t u t a perit.* Fort. *tota.*

Parent. IX 21: — *Non ego o p e s cassas et inania gaudia plango.* Fort. *spes.*

Parent. XI 9: — *Occidis emissae percussus pondere testae.* Videtur esse parodia versus Statiani Theb. V 538 de Ophelte: *Occidis extremae destructus verbere caudae.*

Parent. XVI 13—14: — *At tibi dilecti ne desit cura mariti, l Juncta colis thalamo nunc monumenta tuo. Cura mariti, ut cura Neaerae apud Propertium*

Lygdamus hic situs est: dolor hunc et cura Neaerae

Conjugis ereptae causa perire fuit.

Ita legendum; vulgo *causa Neaerae*, inepte; tametsi Scaliger explicare conetur. § Parent. XIX 13—14: — *Nunc etiam Manes placidos pia cura retractat, l atque Pudentillam f a n t i s h o n o r e colit.* Bene; sed vide 25 v. (numerus perit recisa margine) et 26 ad fin. § Parent XXI 5—6: — *Sortitos igitur tam cara vocabula nobis l stringamus moesti carminis obsequio.* Fort. *jungamus.* § Parent XXIII 9—10: — *Flemus e n i m r a p t a m thalami de sede sororem, l heu non maturo funere, Dryadiam.* Fort. et ereptam. § Ib 15: — *Quam tener et primo, nove flos, decerperis aevo, l nondum purpureas c i n c t u s e p h e b e genas!* Fort. *tu,* ut respondeat τϕ *Illa* (v. 13). *cinctus*, vid. Epitaph. XXXIII.

Ib. 17: — *Quatuor ediderat nunc facta puerpera partus.* Fort. *haec.* § Profess. Burdigal. I 13. (Ad Vineti notam, conjicientis Panegyricis. . . libris, laudantisque Statianum versus *Seu tibi Pindaricis animus contendere plectris*, Marklandus annotat) — Recte: alludit enim huic versui Statii, qui est *Silv.* I 3 v. 101.

Ib. 23—24: — *Audita ut, vel lecta semel, c e u fixa teneres, l auribus et libris esset ut una fides.* Leg. *sic.*

Prof. VII 1—2: — *Qui colis laetos hilarosque mores, l qui dies festos, joca, v o t a, ludum . . . An vina?*

Epitaph. XXXIII (Glauciae) 1—2: — *Laeta bis octono tibi jam sub consule pubes l c i n g e b a t teneras Glaucia adulte genas.* Leg. *pingebat.*

Epitaph. XXXVII (Cari) 4: — *Et v e n i a t ordine quisque suo.* Potes legere *veniant:* sed vix opus est.

De mortibus Caesarum 4: — *Expetiit poenas de C a e s a r e Chaerea mollis.* Leg. *Caio.* Scriptum erat in ms. de *C. Chaerea* etc., quae litera et *Caesarem* et *Caium* notat.

Caesares XII (Domitianus) 2—3: — *Cur duo quae dederant, tertius eripuit. Vix tanti est habuisse illos.* Paene fuit tanti non habuisse duos. Huc alludit Ausonius. (Versus est Martialis, de Spect. 33.) § Urbes XI 1: — *Quis Catinam sileat? quis quadruplices Syracusas?* Fort. *-cem, -sam.*

Epicedion in patr. 20: *Invidi nunquam. cupere atque ambire refugii. l Iurare, a u t falsum dicere, par habui. et ut apud Virgil. VI, Di cujus jurare timent et fallere numen: ex quo loco hic desumptus. Vid. praefat. hujus Epiced., falsum dicere et verum tacere.*

Ibid. 31—32: — *Vitati coetus, ejuratique tumultus, / et semper fictae principum amicitiae*. Potes legere -vi, -ravi et fictas -citas. Ita putavi infra et adii supra.

Protrepticon ad nepotem 20—21: — *Sic neque Peliden terrebat Achillea Chiron / Thessalico permixtus equo*. Fort. *vir mixtus*; sed vid. Epigr. CI. (Versus, quem vult Markl., est Epigr. CI 3 Et tu formosae juvenis permixte puellae.) § Ibid. 73: — *Motu jam puberis aevi*. Leg. *meta*, ut Prof. XVII, 11. (Versus laudatus est: — pueros... formasti, Rhetor, metam prope puberis aevi.)

Ibid. 100: *Speres que tuos, te consule, fasces*. Fort. *spectes*. § Genethl. ad nep. 8: — *Quum motu vigeas jam puberis aevi*. Fort. *meta* ut Protrept. v. 73.

Mosella 20: — *Culina villarum, pendentibus edita ripsis*. Pulmanus in vetusto cod. invenit *saxis*, quod omnino verum est; ut v. 284 pendentibus *saxis* instanti culmine villae: ubi omnia eadem vides, ut et v. 321, vid. Propert. IV, 5 v. 35.

Ibid. 80—81: — *Haud ille sinit, cui cura secundae / sortis*. Fort. *jura*.

Ibid. 265—6: — *Haustas sed hiatibus auras / reddit mortiferos exspirans branchia flatus*. Leg. *hausta, aura*.

Ibid. 295: — *Blanda saluiferas permiscent littora voces*. Leg. -geras.

Ibid 296: — *et voces, et paene manus*. Leg. *visus* ex Statio. (Versus est Silv. I 3,30).

Ibid. 296. *Resonantia utrinque / verba refert, mediis concurrunt fluctibus echo*. (Lege) *concurrans*.

Ibid. 444: — *Sollicitare fluores / Aonidum, totamque solent haurire Aganippen*. Leg. *doctam* ex sensu.

Griphus, praefatio: — *ter maximum Hermen, et amatorem primum philosophiae*. Lege, amatorem primum *sophiae*; i. e. primum *philosophum*, v. 24. (Verba Ausonii v. 24 sunt, Tris partes sophiae.) § Musarum Inventa (Idyll. XX) 4: — *Dulciloquos calamos Euterpe flatibus urget. Melius dulciloquis*.

Eclogarium, De Feriis Romanis 5. Ad Vineti notam, quae sic finit: — *De Dianae sacris Augusti idibus aliud legere non memini*, Marklandus adscripsit: Vide Stat. Silv. III 1; Martial. XII 67; Festus s. v. Servorum dies.

Epist. IX (ad Paulum) 5: — *Quae viridis muscus, quae dedecor alga recondit*. Leg. *concolor* ex Epist VII 43. (Versus laudatus est, Algosus legitur (sc. musculus) littore concolor.) Ibid. 18: — *Sed mihi praecunctis ditissima* Leg. *dulcissima* v. 24 et 34.

Ibid. 43—44: — *Quotiens dextrae invitatio mensae / sollicitat lenem comi sermone Lyaeum*. Fort. *festae*.

Epist. XVI (ad Probum) Praef. *Adjuro benevolentiam tuam, verecundiae meae testem, eos mihi subita persuasione fluxisse*. Imitatur Statium, praef. ad Silv. I.

Epist. XXI (ad Paulinum) 31—32: — *Nescire dices, sed paratum jam fore / heroicorum versuum plenum essedum*. Fort. *adfore*.

Epist. XXIV (ad Paulinum) 87—91: — *Nunc tibi trans Alpes et Marmoream Pyrenen / Caesareae Augustae domus est, Tyrrenica propter / Tarraco, et ostrifero superaddita Barcino ponto. Me juga Burdigalae, trino me flumina coetu / secernunt turbis popularibus*. Ex hoc loco patet veritas

emendationis istius Cl. V. Fr. Hare, qui ap. Hor. carm. I 1 pro *Me* doctorum ederae legit *Te*. Flaccum imitatur Ausonius: TIBI Augustae domus est: ME juga Burdigalae *secernunt* turbis *popularibus*, i. e. secundum Horat. *secernunt populo*.

Gratiarum actio p. 726 (c. 64): — *Quis saltum in tam sublime collegit?* Leg. *coegit*.

Ibid. p. 731 (c. 73): — *ex documentis tabulisque populi condonata repetivit. Q. publicis*.

Perioda XVII Odysseae: — *Iam coelum roseis rutilat Tritonia bigis*. Leg. *Tithonia*.

Singulae annotationes paragraphi tantum signo saepe discernuntur, cum debuerint separatim omnes exhiberi. Hoc accidit quia typhotheta tam nesciebat Latine quam ego Theotisce. Ignoscat velim lector.

London

JAMES WILLIS

*Addendum.*

Post haec scripta amice admonuit me vir doctissimus O. Skutsch, ut locos a Marklando tractatos juxta editionem aliquam recentiore citarem. Cui ut obtinere, exhibeo conspectum locorum juxta Peiperianam.

Praef. III 8 est Peip. p. 86; Epigr. XII P. 324; Epigr. XIII *ibid*; Epigr. XXXVIII P. 332; Epigr. LXI P. 433; Epigr. LXIII P. 434; Epigr. LXX P. 340; Epigr. LXXV P. 312; LXXXVI P. 313; LXXXIV P. 436, ubi idem sensit Peiperus; CXXVIII P. 344; CXXX P. 430; CXXXI P. 346 (*inclusas* etiam Z); CXXXV P. 430; CXXXIX P. 431; Ephemeris est P. 5; Orat. 43 P. 9; versus de somno etc. P. 14; Parent. Praef. P. 29; Parent. *Ibid*; Parent. II P. 30; Parent. III P. 30 (*petito*, quod conj. Markland, legitur in V); Parent IV P. 31; Parent. VII P. 33 (*tuta* et Peipero displicet); Parent XI P. 36; Parent. XVI P. 39 ("Propertius" hic est Tibull. III 2); Parent XIX P. 41; Parent. XXII P. 42; Parent XXIII P. 43; Profess. I P. 48; Prof. VII P. 56; Epitaph. Glaucae P. 335; Epitaph. Cari P. 85; de Mort. Caes. P. 186 (*Gaio* conj. etiam Luc. Muellerus); Caesares XII P. 190; Urbes XI P. 149; Epiced. in Patr. P. 21; Protrept. incipit P. 261; Mosella incipit P. 118; Griphi locus est P. 199,50; Musarum inventa P. 412 (*dulciloquos* videtur esse typhothetae error); De Feriis P. 104; Ep. IX P. 226; Ep. XVI P. 238; Ep. XXI P. 269; Ep. XXIV P. 276; Gratiarum actionis loca reperies p. 369 et 372.

London

James Willis